Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36544
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



Cui Bartholomeus respondens constanter edocuit quod non dicimus ihesum solummodo
equalem moysi sed maiorem quia moyses quidem propheta fuit et ihesus. Quod enim fuit
ihesus moyses non fuit xpc et ideo maior ille sine dubio quia et propheta et xpc
est quam ille quia solum propheta. Hec et his similia plura prosecutus siluit bartho
lomeus. Post hunc iacobus alphei sermonem fecit ad populum quo ostenderet
non ideo credendum esse ihesum quia de eo prophete predixerunt sed ideo magis
credendum esse prophetis quod uere prophete sint quia eis xpc testimonium reddat
nam presentia et aduentus xpi illos uere prophetas fuisse designat.
Decebat enim non ab inferioribus maiori sed a maiore inferioribus fidei tes
timonium dari. Hec et multa alia prosecutus et iacobus siluit. Post hunc
lebbeus populum cepit uehementer arguere cur non crederent ihesum quia eis
tantum profuit docendo que dei sunt consolando afflictos medendo infir
mos pauperes consolando sed pro his omnibus bonis odia mortemque reddide
runt. Hec et his similia plura cum esset populis protestatus siluit. Et ecce
unus ex discipulis iohannis affirmabat xpm iohannem fuisse et non
ihesum. in tantum inquit ut et ipse ihesus omnibus hominibus et prophetis ma
iorem esse pronuntiauit iohannem. Si ergo inquit maior est omnibus prophetis
sine dubio et moysi et ipso ihesu maior habendus est quod si omnium maior
est ipse est xpc. Ad hec symon chananeus respondens asseruit iohannem
maiorem quidem esse omnibus prophetis et omnibus quia sunt filii mulierum
non tamen maiorem esse filio hominis. et ideo ihesus quidem et xpc est iohannes uero
solum propheta est et tantum inter est inter ipsum et ihesum quantum inter precurso
rem et eum qui precurritur quantum inter est inter eum qui legem dat
et eum qui legem seruat. Hec et his similia prosecutus siluit et chana
neus. Postquam barnabas qui et mathias qui in locum iude subroga
tus est apostolatus monere populum cepit ne odio haberent ihesum neque
blasphemarent eum. multo enim rectius esse etiam ignoranti uel dubi
tanti de ihesu amare eum quam odisse. karitati enim deus premium
posuit odiis penam. Hoc ipsum enim inquit quod iudaicum corpus as